



## TRACTATUS DE BENEFICIIS.

QUÆ de beneficiis ecclesiasticis dicturi sumus, ad quinque capita revocantur: in 1<sup>o</sup>. differemus de beneficii natura & divisione; in 2<sup>o</sup>. de variis illius acquirendi modis; in 3<sup>o</sup>. de iis quæ hominem faciunt possidendis beneficiis inhabilem; in 4<sup>o</sup>. de lege digniores ad beneficia eligendi; in 5<sup>o</sup>. expendemus utrum liceat plura simul possidere: tandem brevem subnectemus appendicem de pensionibus ecclesiasticis.

---

### CAPUT PRIMUM.

*De Beneficii ecclesiastici natura & divisione.*

QUÆRES 1<sup>o</sup>. quomodo definiatur beneficium ecclesiasticum.

Resp. Beneficium ecclesiasticum defini potest:

*Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, autoritate Ecclesiæ constitutum, Clerico competens propter officium spirituale quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur.*

Dicitur 1<sup>o</sup>. *jus perpetuum*, tum ex parte beneficii quia, moriente Clerico illius possessore, non extinguitur, sicut pensiones, sed transfertur ad alium; tum ex parte Beneficiarii qui beneficio sibi ritè concesso, quandiu vivit potiundi jus habet.

2<sup>o</sup>. *Percipiendi fructus*, non quidem ut officii spiritualis mercedem, sed tanquam stipendium quo Clericus sustentetur, ut de comparandis rebus sibi necessariis minimè sollicitus, Deo & Ecclesiæ liberius deserviat.

3<sup>o</sup>. *Ex bonis ecclesiasticis*, quæ scilicet ad Ecclesias particulares pertinent, sive quia ab illis acquisita sunt, sive quia iidem fuerunt à fidelibus consecrata.

4<sup>o</sup>. *Ecclesiæ autoritate constitutum*, quia Summi Pontificis aut Episcopi approbatio & confirmatio requiruntur, ut proventus alicui Ecclesiæ propter officium spirituale concessi, beneficiorum rationem habeant.

5<sup>o</sup>. *Clerico competens*, quia nemini conferri potest beneficium, nisi primà saltem tonsurâ sit initiatus.

6<sup>o</sup>. *Propter officium spirituale, &c.* quia ex recepto axioma *beneficium datur propter officium*. Quo nomine non sola Breviarii recitatio intelligenda est, sed etiam Sacramentorum administratio, Missarum celebratio, Evangelii prædicatio, aliæque functiones sacræ. Quali autem potissimum officio attingatur, ex beneficii sibi concessi naturâ & sine æstimare debet Clericus. Inde intelligendum est beneficia non deficiæ, sed laboris esse præmium: *Nec bono jure is quis non servit altari, vivit de altari*, ait Concilium Coloniente II an. 1549, *sicut stipendium non debetur nisi militanti.* (Tit. 3. cap. 9. tom. 14. Conc. pag. 644.)



Quæres 2°. quænam sit beneficii ecclesiastici divisio.

Resp. Beneficium dividitur 1°. in *seculare* quod Clericis tantum Sæcularibus, & in *regulare* quod solis Regularibus conferendum est. Hinc tritum illud effatum: *Sæcularia Sæcularibus, Regularia Regularibus*. Qui contendunt aliquod beneficium esse regulare, id probare debent, vel titulo fundationis, vel possessione pacifica 40 annorum, quæ legitimam facit præscriptionem. ( *In Sexto, lib. 3. tit. 4. cap. 5.* ) Hujusmodi præscriptionis ea vis est, ut beneficii naturam commutet, & sæculare in regulare, ac regulare in sæculare convertat. Beneficium regulare fit sæculare, si per annos 40 pacificè, & sine interruptione possessum fuerit, sive ab uno Clerico Sæculari, sive à pluribus. Pariter beneficium sæculare vertitur in regulare, cum à Regularibus modo prædicto, & per idem temporis spatium fuit possessum.

2°. Aliud dicitur *simplex*, & aliud *duplex*. *Simplex* juxta notionem nunc magis communem, illud appellatur cui, præter divini officii obligationem, nec animarum cura adjuncta est, nec ulla dignitas vel functio quæ postulet ut in beneficii loco resideatur. *Duplex* verò dicitur illud quod, præter Officii divini obligationem, sibi annexum habet animarum regimen, vel aliud quidpiam ministerium, vi cujus teneatur Clericus in beneficii sui loco residere.

3°. Beneficium dividitur in *commendatum*, & *titulare*. *Commendatum*, si primam illius originem repetas, illud erat quod, licet regulare, Clerico tamen sæculari tanquam administratori commendabatur, sed non mutata ipsius natura. Scilicet quando vacabat beneficium, & nullus reperiebatur exercendis ipsius functionibus satis idoneus, mos erat ejus curam boni nominis Clerico ad tempus aliquod committere: beneficii fructus percipiebat *Commendatarius*, quorum tamen rationem referre tene-

batur, quia administrator tantum erat, non possessor. Sic Clerico sæculari mittebatur beneficium regulare, quod nihilominus suam semper naturam retinebat. Juxta hodiernam verò disciplinam, beneficium *commendatum* est beneficium regulare Clerico sæculari collatum, ut eo semper fruatur, perindè ac si foret sæculare, ita ut *commenda* nunc verus legitimusque sit titulus.

Beneficium *titulare* illud est quod electionis aut nominationis virtute, summo jure & non quasi precariò administratur & regitur.

4°. Beneficia alia dicuntur *compatibilia* quæ simul possideri possunt; alia verò *incompatibilia* quæ simul retineri nequeunt. Hujus generis ea sunt omnia, quibus illigatur vel animarum cura, vel aliud officium quo fungi non potest Clericus, nisi in iis beneficiis resideat. Si quæ dispensatio in eo casu à Summo Pontifice obtineretur, apud nos nihil valeret.

---

## CAPUT II.

*De variis acquirendi Beneficii modis.*

QUINQUE potissimum sunt modi, sive tituli, quibus beneficia licitè acquiri possunt: 1°. præsentatio; 2°. electio; 3°. collatio; 4°. resignatio in favorem, & permutatio approbata: de quibus singulis agendum.





## ARTICULUS PRIMUS.

## De Præsentatione.

*Præsentatio* est nominatio personæ idoneæ, à Patrono facta Prælato, ut ipsi beneficium vacans conferat; Patronatus autem est potestas offerendi Clericum, ut ei conferatur beneficium vacans.

Quæres 1<sup>o</sup>. quomodo Patronatus acquiratur.

Resp. Eum variis modis potest acquirere aliquis: 1<sup>o</sup>. si fundum concefferit ad Ecclesiam ædificandam; 2<sup>o</sup>. si propriis sumptibus Ecclesiam construxerit; 3<sup>o</sup>. si Ecclesiam dotaverit ipsi largiendo redditus Ministris sufficientes; 4<sup>o</sup>. præscriptione: ad eam verò requirere solent Jurisperiti nostri possessionem annorum 40, & quidem conjunctam cum tribus *præsentationibus successivis* quæ admiffæ fuerint; ita ut nec triplex *præsentatio* sine 40 annorum spatio sufficiat, nec 40 anni sine triplici *præsentatione*; 5<sup>o</sup>. transfertur Patronatus jure hæreditario, donatione, et cum re venditâ: Patronatus autem ipse venditioni non subjacet: cum enim aliquid spirituale sibi annexum habeat, nempe jus ad beneficia nominandi, citra simoniam vendi non potest.

Quæres 2<sup>o</sup>. quotuplex sit Patronatus.

Resp. duplex potissimum distinguitur, *Ecclesiasticus* & *Laicus*. Prior è bonis ecclesiasticis provenit, ex quibus Clericus aliquis Ecclesiam fundavit, extruxit, vel dotavit; posterior ille est quem sive Laicus, sive Clericus constituit, Ecclesiam suis bonis sæcularibus fundando, vel extruendo, vel dotando. Unde Clericus habere potest jus Patronatus laici, si vel ipse, vel antecessores sui Ecclesiam ex bonis patrimonialibus

fundaverint. At Laico nonnisi Patronatus laicus competit.

Quæres 3<sup>o</sup>. quænam sint utriusque discrimina.

Resp. Multa sunt. 1<sup>o</sup>. Patrono Ecclesiastico sex menses jure canonico tribuuntur ad præsentandum; Laicus verò quatuor tantum habet, exceptâ Normaniâ, ubi sex menses conceduntur Patronis tum Ecclesiasticis, tum Laicis. Ii autem menses computari non incipiunt, nisi à die quo Beneficiarii obitus ad Patroni notitiam pervenire potuit. Si intra illud temporis spatium præsentare neglexerit Patronus, Episcopus jure, ut aiunt, *devoluti* beneficium cui libuerit conferre potest.

2<sup>o</sup>. Si Patronus Laicus duos *successivè* Clericos offerat, alterutrum pro suo arbitrio instituere potest Episcopus; secus verò, cum Patronus est Ecclesiasticus; tunc enim prior tempore, potior est jure. (*Lib. 3. decretal. tit. 38. cap. 24.*)

3<sup>o</sup>. Patronus Ecclesiasticus variare non potest, sed unica *præsentatione* jus suum exhaurit: unde si indignum nominaverit, jure suo pro hac vice excidi; contra verò Patronus Laicus variare potest: idcirco si indignum obtulerit, potest alterum qui dignus sit offerre.

4<sup>o</sup>. Beneficium patronatus Laici nec resignari, nec permutari, nec pensione onerari potest sine Patroni consensu; secus verò beneficium Patronatus Ecclesiastici.

5<sup>o</sup>. Tandem Patronum Ecclesiasticum prævenire potest Romanus Pontifex. Unde si beneficium prius conferat, quàm præsentaverit iste Patronus, valet collatio Pontificis; erga Patronos autem Laicos locum non habet Romani Pontificis præventio. Hanc enim non patitur Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo.

In eo tamen convenit uterque Patronatus, quod nullus Patronus seipsum præsentare possit. Interdantem enim & accipientem debet esse aliqua



distinctio ; sed potest filium, si idoneus sit, nominare. Quamvis enim jure civili pater & filius unicam quasi personam efficiant, aliter se res habet in jure canonico.

---

ARTICULUS II.

De Electione.

Electio est alicujus, præ aliis, ad beneficium vacans optio communibus suffragiis facta, servatis conditionibus à jure præscriptis.

In tota Europa locum non habet electio, quoad *Episcopatus, Abbatias & quosdam Prioratus*. Ad hujusmodi beneficia sine Cleri suffragio nominant Reges, summiq; Principes ; sive ex pactis, gallicè *Concordatis*, cum Romano Pontifice constatis ; sive ex indultis ab eo concessis. In sola Germania nunc viget electionis usus.

Quæres quotuplex requiratur conditio ut validæ sint electiones, quæ ex majori suffragiorum numero pendent.

Resp. Requiritur 1º. ut omnes qui jus habent eligendi, juxta usus consuetos vocentur : si enim vel unus fuerit omissus, is obtinere potest ut rescindatur electio. (*Lib. I. Decretal. tit. 6. cap. 38. pag. 152.*) Si tamen prætermisus, servandæ pacis gratiâ, deinde saltem tacitè consentiat, firma erit electio. In eo quippè casu locum non habet istud juris effatum : *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit*. Qui legitime abest, nec interesse valet, potest per procuratorem uni de Capitulo suum demandare suffragium, eâ tamen lege, ut ne procurator quidem eum detegat cui suffragatur.

2º. Electio quæ fit per suffragia debet esse secreta ; alioquin irrita foret juxta Concilium Lateranense à

Tridentino confirmatum. Jubent Tridentini Patres electionem fieri per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur ; ... si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. (*Sess. 25. de Regular. cap. 6.*)

3º. Libera prorsus esse debet electio ; nam cessat electio, inquit Gregorius X, dum libertas adimitur eligendi. (*In Sexto, lib. I. tit. 6. cap. 3. pag. 80.*) Idcirco prohibitum est ne restringatur eorum numerus qui eligi possunt, idque rationi maximè consentaneum est : si enim irrita sit electio, ubi prætermisus fuit quisquam eorum quibus competit jus suffragandi, quanto magis nulla esse debet, cum ex iis qui vocem passivam, ut aiunt, habent, aliquis excluditur !

---

ARTICULUS III.

De Collatione.

Collatio est beneficii vacantis concessio, ab eo facta qui potestatem habet. Duplex distinguitur ; libera, cum scilicet collator ei cui voluerit beneficium confert ; & necessaria, quam tenetur collator ei impertire à quo requisita fuerit, quando nullam habet legitimam illius recusandæ causam. Tales sunt collationes quæ propter resignationem in favorem à Summo Pontifice admissam, vel propter præsentationem à Patrono factam conceduntur.

Quæres cui competat beneficiorum collatio.

Resp. Conferendi beneficii potestas competit 1º. Papæ qui jus habet Ordinarios in conferendis beneficiis præveniendi, ea tamen in Galliis excipiuntur, quæ sunt Patronatûs laici. Si hujusmodi beneficium conferret Papa, nondum elapso tempore quod Patronis Laicis ad præsentandum fuit concessum, hæc collatio nullius esset roboris ; si verò



Patronus Laicus intra tempus sibi præfixum nominare neglexisset, & res adhuc esset integra, Ordinarium prævenire posset Romanus Pontifex. Item ubi Patronus Laicus & Patronus Ecclesiasticus ad beneficium per alternas vices præsentant, illud jure præventionis conferre potest Papa, cum recurrunt Patroni Ecclesiastici vices. Potest etiam conferre eorum Clericorum beneficia, qui in Curia Romanâ, vel in locis ab ea non distantibus ultra duas leucas moriuntur. (*In sexto, lib. 3. tit. 4. cap. 2. pag. 431. & seq.*)

2°. Episcopus beneficiorum quæ in sua diocesi sita sunt collator est ordinarius, nisi ex fundatione beneficii, aut legitimâ præscriptione id juris alteri competat, v. g. Capitulo, Decano, Abbati, vel alteri Clerico.

3°. A Capitulis, sive sedes vacet, sive non, conferri possunt beneficia quæ ab eorum solâ collatione pendent. Præterea, sede vacante, ea conferre valent quorum conjunctim cum Episcopo collatores erant. In eo quippè casu speciali jus Episcopi defuncti ad Capitulum devolvitur; non potest autem, sede vacante, ea conferre beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum. Hanc enim debet mortui Præfulis successori reservare. Excipiuntur tamen beneficia parochialia, quæ post Episcopi obitum vacant; quia periculum esset ne fideles Pastore destituti, aliquid detrimenti paterentur.

4°. In Galliis Rex collator est omnium beneficiorum quæ vel à se, vel à suis decessoribus fundata sunt. Præterea, sede vacante, omnia, exceptis parochialibus, confert beneficia quæ à collatione Episcopali pendent. Hoc sibi vindicat jure, ut aiunt, *regalium*, gallicè *droit de régale*.

## ARTICULUS IV.

## De Resignatione &amp; Permutatione.

Resignatio est libera beneficii dimissio facta inter manus Superioris, qui eam excipiendi jus habeat. Dixi autem *libera*; si enim metu injusto & gravi, vel dolis extorqueretur, nulla esset. (*Lib. 1. Decretal. tit. 9. pag. 226. & seq.*)

Duplex distinguitur; alia *simplex* quæ fit sine conditione & pacto; alia *conditionalis* sive *in favorem*, quæ scilicet adjunctam habet conditionem hanc, ut beneficium Clerico conferatur, qui in supplicatione proponitur.

Quæres 1°. quænam sint utriusque illius resignationis discrimina.

Resp. tria potissimum esse. 1°. In resignatione simplici & absolutâ potest collator cui libuerit beneficium conferre; in *resignatione verò in favorem*, tenetur Papa beneficium ei dare, in cujus gratiam facta est resignatio, & qui in supplicatione nominatim designatur; alioquin irrita esset *provisio*, quia tunc non vacaret beneficium. (*In Sexto, lib. 3. tit. 10. pag. 524. & 525.*)

2°. Si post admittam resignationem simplicem, beneficium recuset *resignatarius*, illud alteri conferre potest collator. (*In sexto, lib. 3. tit. 4. cap. 17. pag. 455. & 456.*) Ubi autem resignatio sit in favorem, si beneficium non accipiat *resignatarius*, illius titulum & possessionem retinet resignans.

3°. Ubi agitur de *resignatione in favorem*, ad ineundam possessionem sex menses habet *resignatarius*; unum verò duntaxat, ubi resignatio est simplex: tempus illud computari incipit à die quo resignationes admittæ fuerunt.

Quæres 2°. an licitæ sint resignationes puræ &



simplices beneficiorum, quibus annexa est animarum cura.

Resp. licitas esse, modò iis in circumstantiis fiant, quas exigit Innocentius III. Prima, si commissæ fuerit gravis culpa quæ, vel etiam peractâ pœnitentiâ, impediat ne quis functiones beneficio illigatas dignè & utiliter exerceat; seunda, est debilitas corporis qua, vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit; tertia, defectus scientiæ competentis, quæ circa administrationem spiritualium est potissimum necessaria; quarta, malitia plebis, quando plebs aded duræ cervicis existit, ut Pastor proficere non possit apud ipsam; quinta, cum retineri nequit beneficium sine scandalo, cui aliter quàm renuntiatione occurri non possit; sexta, personæ irregularitas. ( Lib. I. Decretal. tit. 9. cap. 10. pag. 232. & seq. )

Quæres 3<sup>o</sup>. an peccent qui citra ullam è præfatis causis beneficia abdicant, quibus annexa est animarum cura.

Resp. eos vulgò peccare, quia pastor spirituale quoddam cum Ecclesia sua matrimonium contrahit, cujus vinculum juxta Canones ita firmum est, ut sine gravissima causa dirumpi nequeat. Hinc maximè redarguendi sunt Pastores, qui Parochias rusticanas abjiciunt; quia eas non satis sibi honorificas existimant. Non parùm etiam improbandi sunt, qui sua beneficia eo consilio dimittunt, ut labori sese subducant, commodiùsque vivant. Longè aliter sentiebat Apostolus qui, licèt mortem summoperè exoptaret, ut Christo citiùs pleniusque frueretur, diutius tamen cum fratribus suis in terris degere non refugiebat, ut eorum saluti, quantum in se erat, adlaboraret: *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, manere autem in carne necessarium propter vos.* ( Philip. I. 23. )

Quæres 4<sup>o</sup>. à quo debeat admitti resignatio in

favorem, quâ Clericus beneficio suo eâ conditione renuntiat, ut tali personæ quam nominatim designat conferatur.

Resp. eam à Summo tantùm Pontifice admitti posse: ratio est, quòd hujusmodi resignationes antiquis Canonibus adverbentur; alii scilicèt ventant ne Beneficiarii suos successores eligant, ut hæreditariæ beneficiorum ecclesiasticorum possessioni omnis aditus intercludatur; alii quodcumque pacti genus in rebus spiritualibus interdicit: *in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debet omninò cessare.* ( Lib. I. Decretal. tit. 35. cap. 8. pag. 444. ) *Pactio circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.* ( Ibid. lib. 3. tit. 19. cap. 5. pag. 1135. ) Resignationes autem in favorem non sine aliquo pacto fiunt; siquidem conditionem hanc adjunctam habent, ut beneficium tali duntaxat Clerico conferatur; simoniam igitur involvunt, quam jure tantùm ecclesiastico introductam aiunt plerique juris canonici tractatores. Ab ea proindè liberare, iniquum, potest Summus Pontifex; at solus id valet.

Quæres 5<sup>o</sup>. quænam regulæ à Summis Pontificibus constitutæ fuerint, ut fraudibus occurrerent ad resignationes pertinentibus.

Resp. Cùm resignationes fraudibus locum darent, quæ eò spectabant ut hæreditaria in beneficiis successio induceretur, & collatores suo jure fraudarentur, Summi Pontifices duas statuerunt regulas quibus malum hoc repellerent.

Prima dicitur de *infirmis resignantibus*. Ita se habet: *Voluit (Papa) quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causa permutationis, & postea infra viginti dies, à die per ipsum resignantem præstiti consensûs computandos, de ipsa infirmitate decesserit, ac ipsum beneficium quâvis autoritate conferatur*



per resignationem sic factam, collatio hujusmodi nulla fit, ipsumque beneficium per obitum vacare censeatur. (d'Héricourt, Loix Ecclésiast. édit. de 1721, pag. 344. & 345.)

Notandum 1<sup>o</sup>. Regula hæc in iis tantum resignationibus locum habet, quæ fiunt inter manus Summi Pontificis; 2<sup>o</sup>. viginti dies præfatâ regulâ præscripti non computantur, nisi à die quo resignatio à Papa vel Legato fuit admittenda; 3<sup>o</sup>. dies illius admittendi, tum obitûs minimè numerandi sunt inter viginti dies qui completi esse debent, juxta articulum 17 edicti regii quod vulgo dicitur, *Edit du contrôle*.

Secunda regula dicitur de publicandis resignationibus. In ea statuitur resignationes quascumque publicandas esse in locis ubi sita sunt beneficia. Publicantur autem cum in possessionem veniunt resignatarii, quod fieri debet intra sex menses, à die quo resignatio fuit admittenda computandos. Valet tamen possessio ante triennium elapsam inita, si modo in acta publica relata fuerit (gallicè *insinûée*) duobus diebus integris ante obitum resignantis; alioquin nulla erit resignatio, juxta art. 12. edicti 1691, quod gallicè appellatur *Edit des insinuations*. (d'Héricourt *ibid.* pag. 348.) Eo consilio instituta fuit regula de publicandis resignationibus, ut fraudi satis communi occurreretur: scilicet resignatarii, postquam admittenda fuerant resignationes in ipsorum favorem factæ, eas apud se occultè servabant, ad obitum usque resignantis, ita ut iste suo beneficio, quando vivere frueretur; quo mortuo, resignationem sibi factam ostendebat resignatarius: ex ea fraude contingebat ut hæreditaria fieret in beneficiis successio, suoque jure privarentur collatores.

Quæres 6<sup>o</sup>. quid sit regressus (gallicè *regrès*) & quandonam locum habeat.

Resp. *Regressus* nomine intelligitur ad benefi-

cium resignatum vel permutatum reversio. A Concilio Tridentino sic generatim prohibetur: *Nemini in posterum ... regressus ... ad beneficium ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedatur; ... hocque decretum in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis ac in quibuscumque personis, etiam Cardinalatûs honore fulgentibus, locum habeat.* (Sess. 25. de reform. cap. 7.) Eundem reprobavit Pius V in Bulla an. 1571, quæ incipit, *Romani Pontificis*. Sed neutrum illud decretum in Galliis receptum est, ubi variis in casibus permittitur *regressus*.

Si quis in gravi infirmitate constitutus beneficium resignaverit, huic post recuperatam valetudinem conceditur facultas regressûs, sive purè resignaverit, sive in favorem, sive impliciter, sive sub pensionis reservatione, ait Cabassut. (Theor. & praxis juris canon. lib. 2. cap. 18. n. 6. pag. 134. col. 2. édit. nov. in-fol. an. 1738.) Hæc Ecclesiæ Gallicanæ jurisprudentia & consuetudo nititur tum edicto Ludovici XIII an. 1638, art. 20; tum istâ ratione, quod non satis liberæ videantur resignationes quæ, imminente mortis periculo, fiunt: tunc enim multa propter metum facere consuevimus, de quibus, cessante periculo, ne quidem cogitaremus. Sæpè Clerici, postquam convalescent, in extremam paupertatem conjicerentur, eorumque laboribus fraudaretur Ecclesiæ, nisi possent sua in beneficia restitui.

Quæres 7<sup>o</sup>. utrum liceat unum beneficium cum altero permutare.

Resp. Permutatio hæc adjunctam habet simoniæ labem, si non propter Ecclesiæ utilitatem, sed commodi alicujus temporalis intuitu fiat. In permutacione, inquit S. Thomas, est simoniæ, si pro aliquo terreno commodo utriusque vel alterius, talis commutacio fiat; si autem pro aliquo spiritali, ut potè quia hic in illo loco melius possit Deo servire, non est simoniæ. (In. 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8.)



Potest praelatus, inquit, ex officio suo permutatio-  
nes huiusmodi facere pro causa utili vel necessaria.  
(2. 2. q. 100. art. 1. ad. 5.) Hic facile esset  
multos proferre canones, quibus ab uno benefi-  
cio ad alterum translatio interdicitur, quando fit  
citra Ecclesiæ necessitatem vel utilitatem. Gravi-  
ter igitur peccant Clerici, qui à suis beneficiis ad  
majora, vel ambitionis dominationisque causa,  
vel inexplebili divitiarum cupidine, vel propria  
delectationis intuitu transcurrunt.

---

### CAPUT III.

De iis quæ hominem faciunt possidendis Beneficiis  
inhabilem.

MULTA sunt, nempe excommunicatio, suspen-  
sio, irregularitas, defectus vel ætatis, vel Ton-  
suræ, vel cælibatûs, vel Ordinis requisiti, vel  
gradum, vel natalium, vel intentionis necessa-  
riæ. Cùm autem de tribus primis impedimentis  
jam satis dictum fuerit in Tractatibus de censuris  
& irregularitatibus, superest ut de reliquis pauca  
delibemus.

---

#### ARTICULUS PRIMUS.

De ætatis & Tonsuræ defectu.

Quæres 1<sup>o</sup>. quænam ætas beneficiis suscipiendis  
idonea sit.

Resp. eam variam esse pro variis beneficiis.  
Qua in re jus gallicum cum jure communi non  
semper consentit. 1<sup>o</sup>. Ad Episcopatum jure com-

muni requiritur ut promovendus jam trigesimum  
ætatis annum exegerit; lib. 1. decretal. tit. 6.  
cap. 7: pag. 115. jure autem gallico satis est ut  
annum 27. inchoaverit. Statuimus & ordinamus,  
quòd... Rex Franciæ... unum gravem Magistrum...  
in 27 suæ ætatis anno ad minus constitutum....  
nominare possit. Verba sunt Concordati inter Leo-  
nem X, & Franciscum I. (Tit. 3. Mém. du  
Clergé, tom. 10. pag. 95. édit. an. 1722.)

2<sup>o</sup>. Ad dignitates quibus animarum cura nulla  
subest, inquit concilium Tridentinum, Clerici alio-  
quin idonei, & viginti duobus annis non minores  
ascendantur. (Sess. 24. de reform. cap. 12.) Quæ  
verba intelligenda sunt de 22 annis comple-  
tis. Garcias enim refert declarationem Cardina-  
lium Concilii Tridentini interpretum anni 1591,  
quæ sic habet: *Congregatio censuit* (ad obtinen-  
dam in Cathedrali vel Collegiata dignitatem) non  
curatam requiri ætatem annorum 22 completam.  
(Part. 7. cap. 4. n. 70. pag. 62. col. 2.) Edicto  
autem an. 1606, (art. 1.) sancitum est ut qui  
Cathedralium dignitates obtinent, ad sacerdotium  
promoveantur intra annum à die pacificæ posses-  
sionis. (Mém. du Clergé tom. 12. pag. 649. édit.  
ann. 1750.) Unde colligere est ad eas dignitates  
in Gallia requiri diem unum supra annos 23.

3<sup>o</sup>. Jure communi beneficia & dignitates quæ  
annexam animarum curam habent, iis tantùm  
conferri possunt, qui jam vigesimum quintum æta-  
tis suæ annum attigerint. (Lib. 1. Decretal. tit. 6.  
cap. 7. pag. 116.) Declaratio autem regia data  
Versaliis an. 1742 sic jubet: *Voulons que nul*  
*Ecclesiastique ne puisse être pourvu dorénavant d'une*  
*Cure ou autre bénéfice à charge d'ames, ... s'il n'est*  
*actuellement constitué dans l'ordre de prêtrise, &*  
*s'il n'a atteint l'âge de 25 ans accomplis.* (Mém.  
du Clerg. ubi supra, pag. 654.)

4<sup>o</sup>. De Canonicatu maxima est dissensio inter  
Doctores, ait Fagnanus; (In 2. part. primi lib.



decretal. pag. 41. col. 1. edit. Rom. an. 1661.) alii septennium duntaxat, alii annos 14 requirunt. In Gallis autem vulgò sequimur regulam 17 Cancellariæ Romanæ, quæ ad Canonicatus Cathedralium exigit annos 14, & decem ad Canonicatus Collegiatarum.) *Vide d'Héricourt. part. 2. de benef. cap. 2. n. 8.*)

5º. Ad beneficia simplicia requiruntur à Concilio Tridentino anni 14; (*Seff. 23. cap. 6. de réform.*) ex consuetudine autem gallica sufficit septennium.

Quæres 2º. an prorsus necesse sit Tonsuram clericalem accepisse, ut beneficium obtineri possit.

Resp. nullum, cujuscumque generis sit, beneficium ei conferri validè posse, qui nondum primâ Tonsurâ est initiatus. (*Lib. 1. decretal. tit. 36. pag. 448 & 449. — & ibid. lib. 3. tit. 7. cap. 2. pag. 1063.*)

## ARTICULUS II.

### De Cœlibatûs & Ordinis requisiti defectu.

Quæres 1º. utrùm cœlibatus ad beneficium validè obtinendum sit omninò necessarius.

Resp. Cœlibatus expressè exigitur. Sic enim hortatur Alexander III: *Provideas attentius, ne deinceps Clericus conjugatus ad beneficia ecclesiastica, vel sacros Ordines aut administrationes ecclesiasticas admittatur.* (*Lib. 3. decretal. tit. 3. cap. 2. pag. 1008.*) Per matrimonium subsequens ipso factò vacat beneficium. (*Ibid. cap. 3. pag. 1009.*) Utrùm verò Clericus per nuptias invalidas suum ipso jure amittat beneficium, controvertitur. Alii negant; 1º. quia Canones, inquit, ideo Clericum conjugii vinculis implicatum ejus beneficio exuunt, quia officio simul & uxori vacare non potest:

hæc

hæc autem ratio locum non habet, quando irritum est matrimonium; 2º. quia leges pœnales benigniori sensu intelligi debent. Affirmant verò alii, quia *non decet ut stultus*, qualis est Clericus invalidas nuptias tentans, *melioris, quàm peritus, conditionis existat.* (*In Sexto, lib. 3. tit. 4. cap. 18. pag. 457.*) Ita sentiunt & judicant supremæ Galliarum Curia.

Quæres 2º. utrùm ad beneficium consequendum, necesse sit ut habeatur Ordo sine quo exerceri non possunt functiones beneficio annexæ.

Resp. 1º. Apud nos usus iste prævaluerat, ut qui intra annum poterat ad sacerdotium promoveri, posset etiam beneficia quibus subest animarum cura recipere & possidere: sed consuetudinem hanc abrogavit Ludovicus XV declaratione anni 1742, ubi ita constitutum est: *Voulons que nul Ecclésiastique ne puisse être pourvu dorénavant d'une Cure ou autre bénéfice à charge d'ames, ..... s'il n'est actuellement constitué dans l'Ordre de Prêtrise, .... faute de quoi voulons que sans avoir égard aux provisions obtenues, qui seront regardées comme nulles & de nul effet, ..... ladite Cure, ou ledit bénéfice soient censés vacans.* (*Mém. du Clerg. tom. 12. pag. 654.*)

Resp. 2º. Ad alia beneficia quibus annexum non est animarum regimen possidenda, satis est ut Clericus intra annum Ordines requisitos suscipere valeat. (*Lib. 1. Clementin. tit. 6. cap. 2. p. 63.*) Annus autem ille ex Galliarum usu, suum habet exordium à die pacificæ possessionis. Ita sancitum est, tum edicto Blesensi, tum edicto an. 1606. (*Mém. du Clergé, ubi supra, pag. 648 & 649.*)

Ubi tamen beneficium ex ipso fundationis titulo aliquem ex sacris Ordinibus requirit *in instanti provisionis*, tunc ei tantum conferri potest, qui jam Ordines illos susceperit; alioquin in Gallis irrita esset collatio, etiam post impetratam à Papa dispen-

Tom. V.



fationem, quia foundationibus derogandi jus non habet. Ita Collator Andegavenfis.

### ARTICULUS III.

#### De Graduum defectu.

*Graduati*, ait Concordatum, ii sunt qui per tempus competens in universitate famosa, quæ scilicet quatuor Facultatibus constet, studuerint. (Tit. 5. de collat. scilicet. 4. Præterea.)

Quæres 1<sup>o</sup>. quænam sint beneficia & dignitates, quæ sine gradibus obtineri nequeunt.

Resp. 1<sup>o</sup>. Juxta Concordatum, Parochiæ in urbibus, aut villis muro circumdatis sitæ, nulli, nisi saltem Magister artium fuerit, conferri possunt. (Tit. de collat. scilicet. 10. Statuimus.) Ita etiam requiritur edictis, tum Ludovici XII an. 1499; (art. 6.) tum Henrici II an. 1551. Id pariter ex usu nostro locum habet erga Parochias quæ in suburbiis civitatum mœnibus cinctarum constitutæ sunt. Quæ omnia videas in Commentariis Cleri Gallicani. (Tom. 10. pag. 103. — 181 & 182. — 197. — 226. & seq.)

2<sup>o</sup>. Edicto an. 1606, (art. 31.) sancitum est neminem ad Cathedralium, & primarias Collegiarum dignitates promovendum esse, nisi in Theologia aut in jure canonico gradus fuerit consecutus: alioqui collatio nulla & irrita declaratur. (Ibid. pag. 206.)

3<sup>o</sup>. Ex edictis, tum Aurelianensi, (art. 8.) tum Blesensi, (art. 33.) ut quis Præbendam Theologalem obtineat, Doctor sit in Theologia vel Licenciatus necesse est, nec sufficerent Baccalaurei gradus. (Ibid. pag. 218.)

4<sup>o</sup>. Qui ad Episcopatum evehitur, Doctor aut Licenciatus in Theologia, vel Jure sive civili,

sive canonico esse debet, ex Concordato. (Tit. 3. de regia ad Prælaturas nominatione.) Quod confirmatum fuit, tum edicto Blesensi, (art. 1.) tum edicto an. 1606. Ab ea lege excipiuntur in Concordato 1<sup>o</sup>. Principes, viri sublimes, & ii sunt quos nomine consobrini Rex honestat; 2<sup>o</sup>. Religiosi quibus ex Ordinibus sui statutis non licet gradus assequi. (Mém. du Clergé, ibid. pag. 95. & 201.)

#### Observatio.

Cum ab Ecclesia & Principibus constitutum est, eos tantum ad gravia quædam beneficia esse promovendos, qui gradus adepti essent, ea profectò ipsis mens fuit, ut hujusmodi beneficia vel dignitates à viris scientiæ non mediocri impetrarentur. Maximè enim credibile est, eum qui tantum temporis in aliqua Academia studii impendit, satis amplam doctrinæ copiam comparasse. Unde sequitur 1<sup>o</sup>. graviter illos peccare, qui scientiæ non satis instructi, vi graduum beneficia obtinent; 2<sup>o</sup>. eos qui, licet per tempus requisitum in Academia non studuerint, propter gradus sub falsis testimoniis subreptos beneficia consequuntur, teneri ea dimittere; tum quia patronum aut collatorem suo jure defraudant, tum quia aliis nocent qui in studiis diligentiore industria posuere; 3<sup>o</sup>. gravis culpæ conscios esse Rectores aut Professores qui gradus imperitis conferunt; vel qui fraudi juvenum patrocinantur, testando eos ipsorum lectionibus accuratè interfuisse, quamvis frequentius abfuerint: fidem enim publicam in re maximi momenti fallunt, & injuriam iis faciunt qui constanti labore gradus adepti sunt.



## ARTICULUS IV.

## De naturalium defectu.

Quæres 1º. an Clericus non legitimus possit beneficium validè obtinere.

Resp. non posse, nisi dispensationem impetra-  
verit, sive manifestum, sive occultum sit illud im-  
pedimentum. (*Lib. 1. decretal. tit. 17. c. 1. p. 283.*)  
Hanc verò dispensationem, quoad majores Ordines, dignitates & beneficia quibus illigatur animarum cura, solus Papa concedere potest. (*Ibid. cap. 18. pag. 292.*) Ubi autem agitur de Tonsura, de minoribus Ordinibus, de beneficio simplici, dispensare potest Episcopus.

Quæres 2º. utrum nothus, post acceptam dispensationem pro Tonsura & minoribus Ordinibus suscipiendis, possidendo alicui beneficio, citra specialem aliam dispensationem, sit idoneus.

Resp. non esse. Dispensationes enim, cum sint quasi totidem vulnera juri communi inflicta, debent intra ea restringi, quæ in iis expressè significantur. Ita Sylvius: *Petes, inquit, an illegitimus cum quo est dispensatum, ut possit accipere primam Tonsuram & minores Ordines, eo ipso sit habilis ad beneficia simplicia: respondeo sententiam negativam esse communiorem, eo quòd juris ac legis relaxatio, cum sit odiosa, stricte sit intelligenda.* (*In 2. 2. quæst. 63. art. 2. tom. 3. pag. 401. col. 1. Edit. Antwerp. an. 1667.*)

Itaque nothi qui à Sede Apostolica dispensationem obtinere volunt, ut possint ad Ordines & beneficia promoveri, eam generalem postulare debent, quæ fiant ad quæcumque beneficia habiles. Debent præterea clarè exponere quodnam sit naturalium vitium; an nati fuerint ex soluto & soluta;

an verò ex soluta & viro matrimonii vinculis obstricto; utrum ex Sacerdote, an ex Laico: iis enim qui ex graviore crimine nati sunt, difficilius conceditur dispensatio.

## ARTICULUS V.

## De intentionis ad Beneficium ritè possidendum requisitæ defectu.

Cum ea fuerit in beneficiis instituendis Ecclesiæ mens, ut Clerici à rerum temporalium sollicitudine expediti, in Dei cultum & utilitatem Ecclesiæ suam omnem operam conferrent, sequitur graviter peccare 1º. eos qui superbiæ & ambitioni servientes, beneficia, ut aliis dominantur, arripunt; 2º. qui bonorum temporalium cupiditate potissimum ad capeffenda beneficia moventur: *Illud quippè est contra ordinem caritatis, inquit S. Antoninus: ... est enim de ordine dilectionis, ut diligatur prius salus animarum, quam corporum; sed hunc ordinem talis pervertit, præferens temporalia quæ ordinantur ad corpus, scilicet divitias ... salutem animarum;* (2. part. tit. 3. cap. 5. §. 4.) 3º. qui obrepunt ad beneficia, ut otiosam, molliorem, deliciis sensuumque voluptatibus affluentem vitam agant. Optandum est, ait Synodus Tridentina, *ut qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum; sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant.* (*Sess. 25. de reform. c. 1.*) Quæ ibi de Episcopis dicta sunt, ad omnes etiam Beneficiarios pertinent.

Quæres an graviter peccet qui beneficium accipit, non eâ mente ut Ecclesiæ serviat, verùm ut ex illius fructibus vivat, donec studia abolverit,



vel uxorem opulentam invenerit, vel hereditatem adierit quam expectat.

Resp. eum mortaliter peccare: Hujusmodi quippe Clerici fraudant Ecclesiam, inquit Alexander de Halès: ad hoc enim dantur beneficia Ecclesiarum, ut serviant Ecclesiis; ergo sunt sacrilegi & raptores. (Part. 3. summ. q. 36. membr. 5. art. 2.) Propositam quaestionem sic expressè dirimit Sylvius: Qui vel Canonicatus, vel alia beneficia recipiunt aut possident, ut eorum fructibus alantur, donec studia absolverint, aut donec uxorem sibi convenientem invenerint, postea dimissuri, peccant mortaliter & obligati sunt vel ea statim relinquere, vel propositum habere vivendi more Clericorum. (In 2. 2. S. Thomae, quaest. 63. art. 2. ubi supra, pag. 406. col. 1.)

## CAPUT IV.

### De lege digniorem ad Beneficia eligendi.

**DIGNIOR** censendus, qui ministerio utilior est. Id verò non ex una vel altera dote aestimandum est, verum ex omnibus eligendorum dotibus diligenter excussis, quæ cum variis officiis beneficio conferendo illigatis comparari debent; ita ut ille dignior habendus sit, quem dotibus ad hoc vel illud beneficium requisitis instructiorem esse, prævio diligentique examine confliterit.

### PROPOSITIO I.

Qui, prætermissa digniore, confert minus digno beneficium adjunctam habens animarum curam, graviter peccat.

Probatur 1º. Acceptio personarum est peccatum ex genere suo mortale, & maximè in distribu-

tione honorum ecclesiasticorum. Cum enim (spiritualia) inquit S. Thomas, sint temporalibus potiora, gravius peccatum est accipere personas in dispensatione spiritualium, quam in dispensatione temporalium: (2. 2. q. 63. art. 2. in corp.) atqui ubi, neglecto digniore, beneficium minus digno confertur, ibi adest personarum acceptio; in eo quippè sita est, quòd in bonis sive Reipublicæ, sive Ecclesiæ distribuendis, attendatur non ad meritum, verum ad quamdam personæ conditionem, quæ nihil ad officium, vel beneficium pertinet, quales sunt consanguinitas, amicitia. Quod consideratur in eo qui minus est idoneus, ait S. Thomas, ad hoc quòd magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebitè movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid hujusmodi: non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem; ..... & sic in tali electione erit acceptio personarum, quæ sine peccato non sit. (Quodlib. 8. q. 4. art. 6. in corp.) Ergo, &c.

Prob. 2º. ex Concilio Tridentino: Declarat enim omnes & singulos qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus ..... habent, aut alioquin operam suam præstant, ..... alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ... præfici diligenter curaverint. (Sess. 24. de reform. cap. 1.) Quod hic de Episcopis eligendis, idem alibi de Parochis statuit. Jubet enim Episcopum ex Clericis qui examinati fuerint, eum eligere quem digniorem judicaverit, cui committatur parochialis Ecclesiæ vacantis cura; Episcopus ex dignis eligat digniorem. (Ibid. cap. 18.)

Cum autem benigniores quidam Casuista incommo- dam hanc vocem digniorem adulterarent, eam intelligendo vel de dignis simpliciter, vel de casu in quo fieret concursus, falsam hanc interpretationem damnavit Innocentius XI an. 1679, ut in praxi perniciosam, & scandalosam. (Conti-



nuat. magn. Bullar. Rom. edit. Luxemburg. an. 1739. tom. 2. pag. 256.) De eadem sic pronuntiavit Clerus Gallicanus in Comitibus ann. 1700: *Hæc .... Concilio Tridentino contraria est, Ecclesiæ utilitati, ac saluti animarum quæ à Pastoribus delectu præcipue pendet, adversatur.* (Mém. du Clerg. tom. 1. pag. 730. edit. 1716.)

Dices 1<sup>o</sup>. Concilium Tridentinum id unum præcipit, ut scilicet inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis & habilibus ... conferantur. (Sess. 7. de reform. c. 3.) Ergo non jubet eligi digniorem.

Resp. Neg. conseq. Concilium enim eo loci non agit de electione ad quam tenentur Patroni & Collatores, ut in foro conscientiæ à peccato sint liberi; sed tantummodo exponit quid requiratur ut collatio in foro exteriori valida sit. Suam mentem satis declarat, dum statim subjungit: *Aliter autem facta collatio omnino irritetur.* Cùm autem electio & collatio valeat in foro extreno, nec à Judice rescindi possit, si beneficia dignis & habilibus conferantur, non mirum est quòd de dignioribus ibi nihil dixerit S. Synodus. Qua de re audiamus S. Thomam: *Quantum ad hoc quòd electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam; sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem.* (2. 2. q. 63. art. 2. ad 3.)

Dices 2<sup>o</sup>. Sic jure canonico statuitur: *Dignus qui est de gremio Ecclesiæ, præferendus est extraneo digniori.* (Decret. part. 1. pag. 398. & 399.) Ergo non semper anteferendi sunt digniores.

Resp. Neg. conseq. Ex eo quòd enim in conferendo alicujus Ecclesiæ beneficio anteferendus sit Clericus dignus, qui sit ex illius Ecclesiæ gremio, non sequitur digniores non esse semper eligendos; siquidem Clericus aliundè dignus, Ecclesiæ suæ utilior esse solet, ac proindè dignior

ratione boni communis, quàm extraneus; quia illius mores & consuetudines magis perspectas habet & exploratas, ipseque est magis devinctus & addictus.

### PROPOSITIO II.

*Generatim peccant graviter qui ad Beneficia, etiam simplicia, minus dignos eligunt, prætermisissis dignioribus.*

Probatur. Illa electio generatim ut peccatum mortale habenda est quæ adversatur juri canonico, rectæ rationi, & fini propter quem instituta sunt beneficia: atqui electio minus digni adversatur, &c. Et 1<sup>o</sup>. quidem juri canonico: vetat enim ne beneficia, vel simplicia, minus dignis conferantur. Nam Concilium Basileense œcumenicum generatim decernit, ut electores jurent Deo & Sancto vel Sanctæ sub cujus vocabulo dedicata est Ecclesiæ, eum eligere quem credent futurum Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus utiliore. (Tom. 12. Concil. pag. 514.)

2<sup>o</sup>. Electio minus digni opponitur rectæ rationi. Hæc quippè vetat ne rei alienæ administrator, domini sui commoda negligat: atqui in Ecclesiæ vicibus administratorum gerunt qui beneficia distribuunt. Horum enim Prælati non est dominus, ait S. Thomas, ut possit ea dare pro libito, sed dispensator. (2. 2. q. 63. art. 2. ad 1.) Vetat igitur recta ratio ne beneficiorum distributores, in iis conferendis, Dei & Ecclesiæ gloriam & utilitatem negligant; quod procul dubio faciunt, dum beneficia minus dignis largiuntur.

3<sup>o</sup>. Hujusmodi electio adversatur fini propter quem instituta sunt beneficia. Ad cultum enim Dei & Ecclesiæ utilitatem ac gloriam, & quasi præmia virtutis quibus digniores donarentur, instituta sunt: atqui ab iis finibus aberrant qui in con-



ferendis beneficiis, etiam simplicibus, digniores prætermittunt, confanguinitate, privatâ amicitia, aut Magnatum commendatione ducti; ergo rùm à jure canonico, tum à recta ratione, tum à fine propter quem instituta sunt beneficia pariter recedunt; ergo generatim censendi sunt mortaliter peccare.

Diximus autem *generatim*, quia nonnulli possunt casus occurrere, in quibus sine peccato, etiam veniali, beneficia simplicia minus dignis conferantur; 1<sup>o</sup>. si alimenta subministranda sint Pastori infirmo, qui obeundis suis muniis impar, ab animarum cura removeri debeat; 2<sup>o</sup>. si cui Sacerdoti aut Clerico indigenti non aliter subveniri possit, quam beneficii alicujus simplicis concessione; 3<sup>o</sup>. cum impediri non potest Clerici prorsus indigni electio, nisi minus dignum eligendo; tunc enim Ecclesiæ utilitati consulitur.

Quæres utrum in resignationibus & permutationibus locum habeat digniorem eligendi obligatio.

Resp. cum Sylvio resignantem (idem dixeris de permutante) qui digniorem non eligit, *non excusandum esse quia etsi iste non sit Collator, vel Patronus; est tamen causa cur illud beneficium conferatur minus idoneo; qui autem causam damni dat, damnum dedisse videtur; neque illi soli peccant, qui ipsam peccati opus faciunt; sed etiam qui vel causa sunt ut fiat, vel consentiunt facientibus: ac proinde sive cognati, sive amici qui talem resignationem procurant, graviter delinquant.* (Ubi suprâ, pag. 413. & 414.)

## CAPUT V.

*Utrum plura simul Beneficia possidere liceat.*

**E**X beneficiis alia dicuntur *incompatibilia* quæ scilicet, vel postulant ut in diversis locis residatur, quales sunt duo Episcopatus, duæ Parochiales Ecclesiæ; vel quæ in eadem Ecclesia adjunctum sibi habent idem ministerium & officium eodem tempore implendum, ut duo Canonicatus *sub eodem*, ut aiunt, *teâo*. Alia dicuntur *compatibilia*, & ea sunt quæ nec residendi in diversis locis obligationem important, nec idem officium eodem tempore perfolvendum. Hæc distinctio Majoribus nostris prorsus erat incognita, & non nisi exeunte sæculo XII initium habuit, eamque *ex Clericorum malitia usurpatam* scribit Guillelmus Parisiensis. (Lib. de Collat. beneficior. cap. 6. tom. 2. Edit. Aurelian. an. 1674. pag. 260. col. 2.)

Apud omnes certum est, nequidem in foro exteriori, posse duo beneficia *incompatibilia* retineri. Primum enim beneficium *ipso jure* vacat, statim ac secundi inita est possessio. (Lib. 3. decretal. tit. 5. cap. 28. pag. 1049. & 1050.) A Concilio autem Tridentino duo beneficia simul *ipso factô* vacantia declarantur, nisi intra sex menses alterutrum fuerit dimissum, quibuscumque dispensationibus non obstantibus. (Sess. 24. de reform. cap. 17.) In Galliis tamen per unum annum retineri possunt duo beneficia *incompatibilia*, sed alterutrum optionem fieri intra illud tempus necesse est. Tota igitur disputatio est de iis beneficiis quæ dicuntur *compatibilia* & *simplicia*. Quâ de re sit.